

## ANAPHORA APOSTOLORUM ADDAI ET MARI

Versione latina di C. Giraudo (cf *La struttura letteraria...* 325.327)  
condotta sull'edizione critica di W.F. Macomber (cf *The Oldest Known...* 358-371)

— Gratia Domini nostri [Iesu Christi, et caritas Dei Patris, et communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus nobis, nunc et semper, et in saecula saeculorum]!

— Amen.

— Sursum sint mentes vestrae!

— Ad te, Deus [Abraham et Isaac et Israel, rex laudabilis].

— Oblatio Deo, omnium Domino, offertur.

— Dignum et iustum est.

\*     **<1. Praefatio>** Dignum est laude ab omnibus oribus  
et confessione ab omnibus linguis  
nomen adorabile et laudabile Patris et Filii et Spiritus Sancti,  
qui creavit saeculum in bonitate sua

5     et habitatores eius in miseratione sua,  
et redemit homines in clementia sua  
et fecit bonitatem magnam erga mortales.

Maiestatem tuam, Domine, adorant  
mille milium supernorum et myrias myriadum angelorum,  
10    exercitus spiritualium, ministri ignis et spiritus,  
cum Cherubim et Seraphim sanctis  
nomen tuum laudant,  
vociferantes et laudantes [indesinenter,  
et clamantes alter ad alterum et dicentes]:

15    **<2. Sanctus>** Sanctus, sanctus, [sanctus Dominus, Deus potens;  
pleni sunt caeli et terra laudibus eius  
Hosanna in excelsis et hosanna Filio David!  
Benedictus qui venit et veniet in Nomine Domini.  
Hosanna in excelsis!]

20    **<3. Post-Sanctus>** Et cum illis virtutibus caelestibus confitemur tibi, Domine,  
nos quoque servi tui tenues et infirmi et miseri,  
quia fecisti in nos bonitatem magnam quae non rependitur:  
nempe induisti humanitatem nostram

ut vivificares nos per divinitatem tuam,  
25    et exaltasti oppressionem nostram

et erexisti casum nostrum,  
et resuscitasti mortalitatem nostram  
et remisisti debita nostra,  
et iustificasti peccatum nostrum

30    et illuminasti intelligentiam nostram,  
et devicisti, Domine noster et Deus noster, inimicos nostros  
et triumphare fecisti tenuitatem naturae nostrae infirmae  
in misericordiis abundantibus bonitatis tuae.

Et propter omnia [auxilia tua et gratias tuas erga nos  
35    tibi laudem et honorem et confessionem et adorationem referimus,  
nunc et semper et in saecula saeculorum. (R/ Amen)]

\*\* <4. Intercessio> Tu, Domine, in misericordiis tuis multis  
quae enarrari non possunt,  
fac memoriam bonam omnium patrum rectorum et iustorum  
40 qui placuerunt coram te  
in commemoratione corporis et sanguinis Christi tui,  
quod offerimus tibi super altare purum et sanctum  
quemadmodum tu docuisti nos;  
et fac nobiscum tranquillitatem tuam et pacem tuam  
45 omnibus diebus saeculi: (Amen)  
ut cognoscant te omnes habitatores terrae  
quia tu es Deus Pater verus solus;  
et tu misisti Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum et dilectum tuum;  
et ipse Dominus noster et Deus noster  
50 docuit nos in evangelio suo vivificanti  
omnem puritatem et sanctitatem,  
prophetarum et apostolorum et martyrum et confessorum  
et episcoporum et presbyterorum et ministrorum  
et omnium filiorum ecclesiae sanctae catholicae  
55 qui signati sunt signo vivo baptismatis sancti.

<5+6. Anamnesis+QuasiNarratio> Et nos quoque, Domine, servi tui tenues et infirmi et miseri,  
qui congregati sumus et stamus coram te in tempore hoc,  
accepimus in traditione typum qui a te est,  
laetantes et celebrantes,  
60 et exaltantes et commemorantes et laudantes  
et facientes mysterium hoc magnum et tremendum  
passionis et mortis et resurrectionis Domini nostri Iesu Christi.

<7. Epiclesis super oblata> Veniat, Domine, Spiritus tuus Sanctus,  
et quiescat super oblationem istam servorum tuorum,

65 et benedicat illam et sanctificet illam,

<8. Epiclesis super communicantes> ut sit nobis, Domine, in propitiationem debitorum  
et in remissionem peccatorum

et in spem magnam resurrectionis e domo mortuorum  
et in vitam novam in regno caelorum

70 cum omnibus qui placuerunt coram te.

<9. Doxologia> Et propter omnem dispensationem tuam mirabilem erga nos,  
confitemur tibi et laudamus te indesinenter

in ecclesia tua redempta in sanguine pretioso Christi tui,

oribus apertis et faciebus revelatis,

75 referentes [laudem et honorem et confessionem et gratiarum actionem

Nomini tuo vivo et sancto et vivificanti,

nunc et semper et in saecula saeculorum].

Amen.